

HEXAEMERUM,

HOC EST,

DE OPERIBUS SEX  
DIERUM EX MOSAICA HI-  
storiâ, physica disputatio.

*Quam*

Divinâ juvante gratiâ,

SUB PRÆSIDIO

CLARISSIMI VIRI, M. HENRICI GUT-  
BERLETHI, PHILOSOPHIÆ IN ILLUSTRIS  
Nassoviorum Schola Herborensi Professoris ordinarii, Domini  
Præceptoris sui observandi, studiosis sapientiæ veritatis  
lance publicè examinandam  
exhibet

PETRUS Lahr / Wassenbergenſis  
Juliacus.



HERBORNÆ NASSOVIORUM,  
Ex officina typographica Christophori Corvini.

ANNO, DeVs optIME beLLa fVgato.



CONSULTISSIMIS, EXPERIENTISSIMIS ET DOCTISSIMIS  
VIRIS,

DN. JOHANNI CLOCKERO, Consuli & Vicario Satrapæ  
in Randerad, avunculo & tutori suo summè observando:

DN. CARCILIO WOLFF, Curix Wassenbergensis scribæ  
cognato suo dilecto:

DN. JOHANNI DALEN, civi Colonienfi, affini suo colendo:

DN. WILHELMO-HENRICO Lahr/ fratri germano percharo:

*Has Philosophicas theses ingenii  
exercendi gratiâ propositas*

dedicat & consecrat

*Petrus Lahr/ Aut. & Respondens.*





T H E S I S I.

**V**erus est verbum: Quot homines tot sententiæ. No-  
bis itaq; placet physicam disputationem instituire  
ex historiâ creationis à Mose descriptâ, salvâ inte-  
rim illorum sententiâ, qui accuratiore & magis philosophicâ  
methodo in Physicæ enarratione utuntur.

II. Priusquam autem ad rem accedamus, aliquid de dif-  
ferentiâ inter creationem & generationem, monebimus. In-  
telligimus autem hîc creationem propriissimè sic dictam, quæ  
aliâs dicitur immediata.

III. Creatio est productio entis è non præexistente ma-  
teriâ ab infinitâ virtute facta.

IV. Generatio verò est mutatio, quâ ex præcedente ma-  
teriâ nova generatur substantia.

V. Differunt itaq; creatio & generatio: 1. Ratione cau-  
sæ efficientis proximæ. Creatio enim, ut & annihilatio, im-  
mediatè pendet à solo Deo per infinitam suam virtutem a-  
gente; generatio verò physica pendet etiam à naturâ per fini-  
tam virtutem operante.

VI. 2. Ratione materiæ; in creatione enim fit aliquid ex  
nihilò: In generatione verò oritur aliquid ex aliquo.

VII. 3. Ratione termini à quo, qui in Creatione nullus  
est, in generatione verò maximè necessarius.

VIII. 4. Ratione effecti; Creatio enim constituit etiam  
spirituale ens, sed generatio non nisi corporale.

IX. 5. In Creatione nulla fit destructio; In generatione  
verò fit. Nam generatio unius est corruptio alterius.

X. 6. Creationem non præcedit alteratio; generationem  
verò præcedit. Necessè est enim in generatione materiam

antè præparari, ut ad novæ formæ receptionem apta & idonea reddatur. Tali præparatione non opus est in Creatione. Sed, inquis, in Creatione mediata est præexistens materia, ex qua præparata & alterata aliquid producitur? Respond. Talis est illa materia, quæ per se & in se non habet naturalem *δύναμιν* ad naturam istius rei quæ creatur; quapropter necesse est divina & infinita virtus immediatè accedat. Sic Deus ex costa Adami fecit Evam. In omni verò generatione materia in se habet quandam *ἐπιδηειότητα* & *δύναμιν* ad naturam rei generatæ.

XI. Constat itaq; Creationem fieri hyperphysicè seu supernaturaliter; generationem verò physicè seu naturaliter.

XII. Atq; hæc summâ brevitate de differentia inter creationem & generationem; nunc ad rem ipsam accedamus.

*De operibus primi diei.*

I. **N**arrat Moses, Deum primo die creasse duo, Chaos & lucem primigeniam.

II. Chaos est vox Græca, Latinè incondita congeries, à Philone in lib. de Mundo dicitur *ἐσία ἀτακτο*. Derivatur *ἐξ* *τὸ χεῖμα* à fundendo. Danæus in Physica Christiana part. 1 c. 8. deductum putat ab Hebræo Bohu, quod notat indigestam molem, pro quo imperitiores Hebrææ linguæ dixerint Cohu, mutato B in C, propter magnam literarum in hæc linguâ similitudinem; illud Cohu deinde Græcos per Chaos expressisse, Latinos hinc verbum inchoare desumpsisse, admodum verisimile est.

III. Chaos autem fuit nihil aliud quàm indigesta quædam & informis moles, ex terrâ & aquâ permixta atque confusa, ex quâ, ut communis ferè omnium Theologorum est sententia, tanquam materiâ primâ, Deus postea singulas inferioris mundi partes certo ordine produxit.

IV. Dicta

IV. Dicta fuit hæc massa etiam abyssus, non tam propter substantiam aqueam, quam propter immensitatem & profunditatem; etenim hæc vox apud Græcos adjectivè usurpata, idem sonat quod Latinè fundo carens

V. Additur præterea à Mose istius confusæ molis veluti quoddam adjunctum extrinsecus illi adhærens, videlicet tenebræ in abyſſo.

VI. Quid hæ tenebræ in abyſſo ante conditam lucem fuerint, controversum est; nos cum iis faciendum existimamus, qui statuunt, tenebras dici de totâ massâ. Nam præter confusionem illam accedebat etiam lucis absentia, unde massa dicta est *ἀόρατος*.

VII. Secundum opus hujus diei fuit *lux*, quæ non fuit tantum accidens, ut quidam perperam arbitrantur, sed substantia, nimirum corpus lucidum, lucem suam spargens in superficiem illius molis. Hujus lucis usus erat, ut ejus motu dies artificialis efficeretur.

VIII. Cæterum hîc movetur quæstio, An cælum stellatum fuerit conditum primo die? & an affirmari hoc possit ex hisce verbis, *In principio creavit Deus cælum & terram?*

Ad quam respondemus; Etiam si nonnullis videatur per cælum in illis verbis intelligi cælum cælorum & cælum stellatum; nos tamen cum iis faciendum esse existimamus, qui volunt, Mosen in illis verbis summam rei de qua agere instituit, proposuisse.

---

*De operibus secundi diei.*

I. **S**ecundo die creavit Deus cælum quod à Mose appellatur expansum, nimirum unum continuum spacium non interruptum, quod ideo vocatur expansum, quia quasi per aquæ expansionem & rarefactionem effectum est.

**I.** Per hoc expansum quidam intelligunt cælum duntaxat aëreum, idque inde probare nituntur, quia Moses dicit, quòd distinxerit inter aquas unas & alteras, Genes. i. v. 6. Hic audiamus D. Zanchium lib. 2. de operib. Dei, c. 1. Non est, inquit, absurdum, quòd nomine firmamenti à Deo creati, ut divideret aquas ab aquis, totam machinam, cœlestem & aëream, intelligamus, & interim tamen id quod dividit aquas ab aquis, esse dicamus solum aërem &c. Nos igitur existimamus, die secundo creatum fuisse totum hoc expansum, quod est à convexâ terrâ in infinitum, ut Danæus loquitur; seu totum hoc spacium, quod tres continet cœlos, aëreum, sidereum, & perpetuum. Definitur autem cælum à philosopho corpus simplex, supra elementorum terræ & aquæ regionem subtilissimè expansum, & dividitur in perpetuum, sidereum, & aëreum.

**III.** Cœlum perpetuum sive supremum est suprema expansi pars, Dei & beatorum angelorum ac hominum domicilium. Dico domicilium Dei, non quòd Deus finito hoc spacio comprehendatur, & quasi concludatur, sed quia Deus hoc extimum cœlum, tanquam præcipuam quandam majestatis suæ arcem, & primariam sedem elegit, extra quam tamen omnibus adest, omnia ubiq; videt, omnia potenter & sapienter gubernat. Hujus cœli cognitio non nisi ex sacra Scriptura peti potest, unde est quod Aristoteles non sine magno errore lib. 1. de cœlo c. 9. asserit, extra cœlum stelliferum non esse aliud corpus aut locum. Recentiores hoc cœlum vocant metaphysicum.

**IV.** Cœlum sidereum sive medium est corpus naturale, simplex, æthereum, subtile, sphericum, propriis siderum motibus pervium: itaque nullis realibus orbibus distinctum, immobile, & invisibile.

**V.** Cœlum aëreum, seu ipse aër, est cœlo stellato continuum,

minum, supra elementa, terram & aquam, proximè expansum, ut sit commune halituum & inde genitorum meteororum receptaculum.

VI. Disceptatur hîc, an inter cœlum aëreum & sidereum interjectus sit ignis elementaris?

VII. Ad quod breviter respondemus negando. Si enim ignis iste in rerum naturâ existeret vel in cœlo, quod falsum cœlum enim non est igneum; igneam siquidem vim non habet, nec igneo splendore conspicitur. Vel sub cœlo; quod falsissimum, tum quia non cernitur, ubi tamen minimæ sæpe exhalationes videntur, tum quia siderum, nempe Solis, Lunę & stellarum radios interciperet, quo minus ad nos spargerentur; vel denique esset in hac inferiore naturâ, quod nemo nisi à veritate alienissimus affirmabit. Nec est quòd quis nimiam hujus ignis subtilitatem & raritatem nobis objiciat; quâ enim facilitate prætenditur, eâdem rejicitur. Et qui quæso quod nullo prævio sensu percipitur, à Philosopho statui potest? Constat itaq; ignem elementarem nusquam existere.

VIII. In cœlo aëreo consideranda veniunt meteora, quę secundo hoc die à sapiente illo mundi opifice Deo creata esse, extra dubium ponimus.

IX. Definiuntur meteora à Physicis corpora imperfectè mixta, ex exhalationibus calore Solis stellarumq; virtute in aëre genita.

X. Vocabulum τὸ μετέωρον est à μετὰ trans & αἴρω vel αἴρω attollo, suspendo, quia scilicet meteora in sublimi generantur & quasi suspenduntur.

XI. Ut autem in omnibus corporibus spectatur materia & forma, ita in hac doctrinâ de meteoris materia & forma consideranda est.

XII. Materia meteoris est halitus sive humidus, ut vapor, sive siccus, ut fumus; sicut autem subito generantur meteora,

ita quoque subito in elementa, ex quibus conflata sunt, resol-  
vuntur.

XIII. Forma meteororum tam diversa est & multiplex,  
quam meteora ipsa diversa sunt. nam ob variam materiae dis-  
positionem varia etiam species & formae sunt.

XIV. Est autem meteororum triplex: Igneum, aqueum,  
& aereum, sive flatulentum.

XV. Igneum est, quod ex halitu sicco in aere generatur;  
& hoc est vel ascendens, vel descendens.

XVI. Ascendentia meteora sunt, quae ex fumis calidissi-  
mis, siccis, & levissimis in supremum aërem evectis accensisq;  
producentur, ut sunt Cometa, fax seu candela accesa, Trabs,  
Bolis, Capra saltans, scintilla volans, quae etiam stella cadens  
dicitur, &c.

XVII. Descendentia meteora sunt, quae ex fumis minus  
calidis & siccis orta altius evehi non possunt, sed infra sum-  
mum aërem accenduntur, ut sunt Draco volans, ignis erraticus  
seu fatuus, & ignis lambens. His quidam addunt ful-  
men, quod tamen mixtum potius dicendum videtur, nimi-  
rum ex igneo & aqueo.

XVIII. Meteorum aqueum est, quod ex halitu humido  
in aere gignitur. Hujus generis sunt nubes cum suis adjun-  
ctis, videlicet coloribus & phasmatibus. Sunt autem phasma-  
ta, Iris, Parelius, Parafelene, Halo, fovea, virga. Præterea me-  
teoris aqueis accensentur nix, pluvia, grando, nebula, ros,  
pruina, &c.

XIX. Aereum sive flatulentum meteorum dicitur uno  
nomine *ventus*, qui est ex exhalatione multâ & copiosâ, quae  
ab occurrente frigore repulsa & repressa paulatim in obli-  
quum retorquetur, & cum impetu per aërem ruit. Est igitur  
ventus non motus aëris, sed corpus imperfectè mixtum, su-  
per terram spirans, natum ex halitu super terram agitato.

Quum

Quum subtilior & tenuior est ventus, aura dicitur.

XX. Materia venti est halitus copiosus & crassus, calidus & siccus, cui quum nihil pinguedinis est admixtum, non accenditur; si verò quid pinguedinis admixtum habet, accenditur, & dicitur Prester, qui est ventus extraordinarius. Finis venti est, corporum terrestrium temperiem juvare, aërem purgando, nubes congregando & disjiciendo, atq; vel serenitatem vel pluvias efficiendo.

XXI. Dividitur ventus in ordinarium & extraordinarium; ordinarius in cardinalem & collateralem. Extraordinarius est quadruplex; Ecnephas, Exhydrias, Typhon, & Prester.

---

*De operibus diei tertii.*

I. Tertio die Deus creavit tria; nempe mare, terram habitabilem, & plantas. Terram in sua perfectione, consolidando scilicet eam circa mundi centrum, alveosq; ei imprimendo, in quos ut terra arida conspiceretur, magnam aquæ partem congregavit, quam congregationem aquarum vocavit mare; exsiccatam deinde terram plantis condecoravit.

II. De aquâ in genere notandum, quòd sit elementum humidum & fluidum, inter aërem & terram interjectum, ut sit domicilium piscium, aliisq; corporibus sive viventibus sive non viventibus usum præbeat.

III. Disputatur inter physicos, an aqua per se & *αὐτὴν* sit frigida, quod veteres physici ad unum omnes affirmant, & ex ipso sensu se probare posse putant. Nos cum recentioribus, ex quibus sunt Danæus & Timplerus, aquam suâ naturâ neq; frigidam neq; calidam, sed indifferentem ad utramque qualitatem esse asserimus: A frigefaciente causâ enim aqua frigescit, & à calefaciente causâ aqua calefcit, sed quia fre-

quentiores sunt causæ frigefacientes, aqua frequentius est frigida.

IV. Collectio aquarum in certos terræ alveos à Mose dicitur *Mare*, quæ vox ab amaritudine aquarum, ut quidam volunt, originem traxit.

V. Mare est multitudo aquarum jussu Dei in unum locum primitus collecta, ut quasi amoto velamine terra appareret arida, commodumq; animantibus hospitium præberet.

VI. Per mare hoc loco intelligimus Oceanum, seu mare illud maximum, ad quod reliqua omnia maria reducuntur.

VII. Materia maris est aqua partim condita ab initio, partim verò de fluviis, fontibus, & fluminibus collecta. Nam omnia flumina exeunt è mari, & per quandam reciprocationem recurrunt in mare, & licet alii amnes ab aliis excipiantur, omnes tamen tandem in mare influunt, videlicet in magnum illud quod dicitur Oceanus.

VIII. Forma maris consistit in ingente illâ mole factâ per congregationem aquarum.

IX. Finis, ut terra esset habitabilis, allueretur, rigaretur, ac foveretur; item ut mercatorum aliorumq; navigationibus inferviret.

X. Generales maris affectiones sunt duæ, salsedo & motus.

XI. Salsedo est qualitas per quam mare est salsum.

XII. Salsedinis causam duplicem reddunt physici, externam vel internam.

XIII. Externa est fervor radiorum solarium, undiq; sine ullo impedimento ferientium aquam marinam, eamq; adurentium.

XIV. Interna causâ sunt variæ illæ sordes, quæ sunt in aquâ marinâ, & quæ velut excrementa piscium ingenti multitudine in aqua viventium, versus superiora feruntur, & aquam

quam istam in superiori loco ita afficiunt, ut crassescat, & dum crassescit, facilius falsescat.

XV. Quæritur hîc, cùm mare sit falsum, cur non etiam flumina ex mari orta falsum obtineant saporem?

XVI. Resp. Flumina & fontes cùm per varios & angustissimos terræ meatus fluunt, & quasi percolantur, à terrâ alijsq; rebus terræ adhærentibus alias qualitates attrahunt, atq; ita amaritudinem amittunt.

XVII. Motus maris est duplex; violentus, & naturalis.

XVIII. Violentus est quo mare à ventis nunc in hanc nunc in illam partem agitur.

XIX. Naturalis motus est qui est secundùm naturam, videlicet quum è loco superiore ad inferiorem defluit, ut è septentrione in meridiem. Est præterea alius motus maris diverfi generis, qui dicitur *æstus marinus*, & constat ex affluxu & refluxu, de cujus efficiente causa tam anxie in diversas partes disputârunt philosophi, ut nos hætenus nihil certi statuere possimus.

XX. Sicut verò Deus congregationem aquarum in certum alveum vocavit *Mare*, ita quoque terram nominavit *Aridam*.

XXI. Terra est elementum siccum, grave, solidum & opacum, in medio univèrsi mundi situm, quod cum aquâ constituit unum globum.

XXII. Hîc occurrit quæstio: Cùm terra sit elementum grave, quomodo in medio mundi existat? An sine omni fulcro & basi? & si hoc, an naturaliter?

XXIII. Respondemus 1. ex scriptura, videlicet ex Jobo c. 26. v. 7. Deum suspendisse terram super nihilum. 2. Cùm terra sit ultima mundi pars, & infra se nullum aliud habeat corpus cui innitatur, & à quo tota mundi machina sustineatur; necessariò sequitur, illam in infimo mundi loco sine o-

mni basi & fulcro existere, & quidem naturaliter, siquidem est in naturali suo loco.

XXIV. Figuram terræ tum secundum longitudinem, tum secundum latitudinem esse sphericam & rotundam sic probatur: 1. Secundum longitudinem, quæ est distantia ortus ab occasu, rotundam dicimus quia omnes stellæ æquabili intervallo prius oriuntur orientalibus quàm occidentalibus. Si plana esset, stellæ simul & eodem temporis puncto oriuntur orientalibus & occidentalibus. 2. Secundum latitudinem, quæ est distantia septentrionis à meridie, terræ rotunditas probatur, quia non est eadem omnium locorum poli elevatio. Etenim meridiem versus proficiscentibus in plagâ australi apparent stellæ antea non visæ; in plagâ verò septentrionali deprimuntur stellæ antea visæ, & sic vice versa. De distinctione terræ vide disputationem de stoicheiologia nuper habitam.

XXV. Dicitur est supra, Deum die tertio creasse tria, Mare, terram habitalem, & ex hac nascentes plantas. Superest nunc, ut de plantis aliquid agamus. Cùm enim terra jam fuisset aquis detecta, iussit Deus ex hac prodire omnis generis germina & sic hoc die terra elegantius cœpit condecorari.

XXVI. Planta est corpus animatum vigente & germi-  
nante animâ præditum, quâ è terrâ nascitur, vivit, viret, alitur & augetur.

XXVII. De vitâ & viventis naturâ & affectionibus hîc agendi locus est. Vitam definit Philosophus lib. de respiratione cap 18. *Μοιλω τῆς ἀπνευστικῆς ψυχῆς*, quæ descriptio est non admodum incommoda. Ubi enim nutritio est, ibi & vita, nempe ea quæ physica & naturalis dicitur, de qua hoc loco. Alii malunt definire durationem corporis animati usq; ad terminum ad quem, nimirum à termino generationis ad terminum corruptionis. Ab hac porro pendent affectiones vitales,

ut sunt, nutritio, accretio, & procreatio; quarum prima conservat individuum; secunda quantitatem promovet, ut vivens ad operandum fiat aptius; tertia conservat speciem. Ad ditiæ his sunt ministræ: ut, attractio, retentio, concoctio & expulsio, sed de his aliàs plura.

XXVIII. Commemoratur autem Moses tres species plantarum, videlicet herbas insativas quæ sponte naturæ vel ex semine manifesto vel occulto nascuntur; deinde herbas sativas & provenientes culturâ, quæ arte & industriâ hominum vel ex radice vel surculo vel alio modo propagantur. Tertio arbores fructiferas, quo nomine per synecdochen intelligendi etiam videntur frutices item arbores steriles. Hujus igitur loci est Phytologia, quæ plenius tractatur in libris physicorum.

XXIX. Probabile etiam est, hoc die Deum unâ cum plantis etiam creavisse metalla & lapides preciosos, qui gemmæ vocantur. Cognationem enim habent cum terrâ non minorem ac plantæ, in quibus medicamentis aliisque rebus non exiguum usum præstant. Sed de his fusiùs alibi.

*De operibus quarti diei.*

I. Quarto die fecit Deus stellas in medio expanso, videlicet fixas & planetas.

II. Hic primò dicemus, quid sit stella; secundò, quis sit usus stellarum.

III. Stella est corpus æthereum, lucidum, globosum, in medio cælo à Deo collocatum. Malè definitur densior pars sui orbis, quia orbis realiter nullus est.

IV. In stellarum doctrinâ primò considerantur communia accidentia, ut sunt magnitudo, numerus, lux, rotunditas, crassities, motus localis, qui est vel diurnus vel periodicus, operatio sive manifesta quæ fit lumine & motu; sive occulta,

quam influentiam vocant, & deniq; significatio, de qua Mo-  
ses, Genes. i. v. 14. Deinde consideratur distributio, qua stel-  
la distribuitur in fixam & erraticam.

V. Fixæ stellæ sunt, quæ in superiore regione cœli fiderei  
in motu suo eandem inter se perpetuò servant distantiam, si-  
tum, & ordinem.

VI. Ex his stellis quædam in certam figuram conjungun-  
tur, quam sidus vocant. Sunt autem sidera vel extra Zodia-  
cum, vel in ipso. Quæ extra sunt, vel sunt septentrionalia, vel  
meridionalia. In ipso Zodiaco sunt ea quæ dicuntur duode-  
cim signa cœlestia, quibus cum planetis magnum intercedit  
commerciū, ut in doctrinâ motuū & aspectuum ostenditur.

VII. Stella erratica, sive planeta, est quæ movetur infra  
stellas fixas, in ceteriore regione cœli fiderei, ubi mutabilibus  
spacii cursus sui vestigia inflectit.

VIII. Dicitur stella errans, non quòd erroneum habeat  
motum, sed comparatè ad stellas fixas, quia varium habet  
motum. Planetæ enim non semper æqualem à se invicem di-  
stantiam habent, siquidem modò conjunguntur, modò op-  
ponuntur, modò secundum Zodiaci longitudinem, modò  
secundum latitudinem moventur. Omnes autem moventur  
secundum Zodiaci latitudinem, recedentes ab eclipticâ, ex-  
cepto uno Sole.

IX. Stellæ erraticæ seu Planetæ sunt numero septem: Sa-  
turnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius & Luna. Sol oc-  
cupat locum medium, & luce plenissimus & actione effica-  
cissimus est, ut non immeritò ab Heraclito fons lucis & ab A-  
strologis Planetarum cor sive rex appelletur. De singulis alia  
erit agendi occasio.

X. Usus stellarum est potissimùm quadruplex. Primus  
est distinctio lucis à tenebris, id est, diei artificialis à nocte per-  
petuis vicib. Secundus usus est certarum rerum significatio,  
& qui-

& quidem earum quæ ex istis ipsis sideribus ipso naturæ ordine quodammodo pendent, cuiusmodi sunt imminentes pluvia, tempestas, serenitas, &c. Tertius usus est, ut spargant & demittant lucem in hanc terram, & illâ influentiâ terram & terrestria corpora variè afficiant. Quartus finis stellarum est, ut efficiant dies, menses, & annos, item anni quadrantes, ut ver, æstatem, autumnum & hyemem. Hinc liquet, quomodo stellæ nobis ostendant civilia tempora, quæ in semente, messe, lignorum cæsione, & aliis observantur.

XI. Incidit hîc quæstio, an ex astrorum positu de omnibus omnino rebus, etiam de religionis statu, de ingeniis & moribus hominum, felicitate & infelicitate, &c. judicare & prænoscere possimus?

XII. Resp. breviter negando, & vanam esse hanc superstitionem quorundam hominum, quâ profitentur se ex astris scire atque prædicere posse eos vitæ eventus, qui à temperamento corporis non dependent, item ea quæ Deus sibi soli reservavit, vel regnorum & rerum publicarum everSIONES aut translationes &c. item quo genere mortis huic vel illi perendum, & quæ sunt similia. Nam non solum stultum, verum etiam impium est, ex astris hæc præscire velle. Qua de re plura videantur apud L. Danæum in secundâ parte Physicæ Christ. tract. 4. cap 36.

---

*De operibus quinti diei.*

I. **N**unc ad opera quinti diei accedimus. Videlicet ad historiam piscium & avium. Ita apparet, quomodo Deus ab imperfectioribus ad perfectiora progressus sit, nimirum à creaturis brutis & stupidis ad manifestiore vitâ & sensu præditas, quæ animalia vocantur. Hîc igitur incipit ζωολογία, id est, doctrina de animalibus, in qua primo loco consideranda sunt

duo, videlicet communis natura, & communes affectiones.

II. Communis natura cognoscitur ex animalis definitione, quæ est: *Animal est corpus animatum sentiente animâ præditum.* Quum dico corpus animatum, dico corpus organicum vegetante animâ præditum. Ut enim plantæ corpus variis membris est distinctum, per quæ vitales facultates exercentur, ita corpus animalis variis est instructum membris velut organis, per quæ partim vitales, partim sensuales operationes fiunt. Deinde cum animâ sentiente intelligitur etiam vis locomotiva. Certissimum enim est, ubi sensus est, ibi locomotivam esse, ut quod sensus appetit assequi possit.

III. Communes igitur affectiones animalis sunt sensus & locomotio. Per sensum animal cognoscit objectum sensibile, ubi opus est: 1. objecto sensibili. 2. sensorio. 3. medio quod *μεταξύ* vocant. 4. ipso sentiente, quod apprehendit & dijudicat. Est autem sensus vel exterior, ut visus, auditus, olfactus, gustatus, tactus; vel interior in ipso cerebro, ut sensus communis & phantasia. De hisce plenius alibi. Per locomotionem animal vel sese totum movet de uno loco in alium, vel movet sese duntaxat secundum partem, videlicet sese contrahendo vel dilatando. Sensuum actionem sequuntur affectus, de quibus aliàs.

IV. In doctrina animalium secundo loco considerandæ sunt species. Facimus igitur animalia triplicis generis, videlicet; Aquatilia, volatilia & terrestria. quæ divisio historiæ Moisaicæ ratione ordinis est accommodatior.

V. Aquatilia sunt pisces, quibus addimus Zoophyta, insecta aquatilia, & aquatiles serpentes. Volatilia sunt aves, animalia scilicet pennis & rostris instructa, quibus addimus insecta alata, quæ tamen avium nomen vix merentur. Cæterum omnium piscium & avium species hîc recensere si vellemus, nimis foret longum. Quare dominos studiosos remittimus

mus ad plenioreſ phyſicorum libros, vel, ſi placet, ad opera  
Conradi Geſneri. Non tamen hîc præterimus quæſtionem  
hanc: An Deus aves creaverit ex aquis? Qui affirmant, ur-  
gent id quod dicitur Gen. 1. v. 20. juxta veterem verſionem:  
Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper ter-  
ram ſub firmamento cœli. Sed falſam eſſe hanc verſionem,  
oſtendit Dn. Piſcator in præfatione Comment. in Geſen,  
cum quo nos facimus. Sed hæc hâc vice ſufficiant de piſcibus  
& avibus, alio tempore plura.

---

*De operibus ſexti diei.*

I. **S**exto die Deus ad perfectiorum animalium creationem  
acceſſit, creavit enim animalia terreſtria, id eſt, ea quæ in  
terra degunt.

II. Suntq; vel reptilia, vel grefſilia. Illa ſunt quæ pedibus  
deſtituta ventre ſeſe promovent, dum corporis contractioni  
& extensioni innituntur, cujus generis ſunt vermes & ſer-  
pentes terreſtres.

III. Grefſilia ſunt quæ pedibus incedunt & perfectione  
reptilia ſuperant.

IV. Incedunt autem vel pedibus quaternis, ut jumenta  
& beſtiæ agri ſive feræ; vel pedibus binis: ut, Homo animal il-  
lud rationale omnium nobiliſſimum & perfectiſſimum, cum  
propter corporis elegantiam & erectam figuram, tum verò  
propter animam rationalem, per quam nonnihil ad creatoris  
ſimilitudinem aſſurgit, & omnes viſibiles creaturas multis  
paraſangis poſt ſe relinquit.

V. De homine hîc moneamus quantum ex Moſe colli-  
gere eſt. Et quidem primo loco conſideranda eſt conſulta-  
tio SS. Trinitatis de homine condendo, Gen. 1. v. 26. qua  
indicatur hominis excellentia, quæ conſiſtit in imagine Dei,

per quam homo similis est Deo partim quoad substantiam, partim quoad qualitates.

VI. Quoad substantiam, homo Deo similis est in animâ & corpore. Anima enim una est, quæ regit inferiores hominis facultates, & universum corpus, quemadmodum unus Deus mundum & quicquid in eo est. Deinde in anima sunt *νῦς, λόγος & ἐθέλησις*, quibus quodammodo repræsentantur personæ SS. Trinitatis. Vide Mornæum de verit. relig. Christ. cap. 5. Præterea anima est simplex, incorporea, invisi- bilis, immortalis, facultate cognoscendi & intelligendi prædita, quibus itidem homo Deum refert. Sunt etiam animæ dotes quædam divinæ; ut, vera justitia & sanctitas, de quibus Apostolus Coloss. 3. *ῥ. 10.* & Ephes 4. *ῥ. 24.* Præterea in corpore apparent quoque Deitatis vestigia, siquidem per metaphoram Deo quædam membra tribuuntur, & in corpore singularis quædam elucet majestas. Accedit insuper dominatus ille, quem homo in reliqua animantia accepit. Ex his omnibus constat, quanta in primo statu fuerit hominis dignitas & excellentia.

VII. Secundo loco Moses distinctionem sexus commemorat *ῥ. 27.* quæ quidem distinctio etiam in brutis animalibus cernitur, quorum ordinaria generatio ex conjunctione maris & fœminæ est. Moses tamen in hominis creatione id eò ejus meminisse voluit, ut doceret, etiam fœminam ad Dei similitudinem esse conditam, & simul ostenderet, quomodo Deo placuerit sui imaginem propagare.

VIII. Tertiò meminuit Moses *ῥ. 28.* benedictionis, per quam marem & fœminam fecit fœcundos, & ad generis sui propagationem aptos, scilicet largiendo semen prolificum, ad speciei conservationem. Per hanc Dei benedictionem hominis semen accepit *δύο μιν πλαστικῶς*, quâ ex semine, Deo tamen gubernante, efformatur hominis effigies in utero matris.

10  
tris. Ubi autem hæc *δύσπαις* abest, semen non est prolificum, sed sterile, quod in nonnullis compertum est.

IX. Quartò considerandus venit creationis hominis modus, qui exprimitur Genes. 2. *ψ*. 7. 21. 22. Matrem ex limo terræ, fœminam ex maris costâ Deus condidit, utrumq; infinitæ potentæ Dei argumentum, utrumq; de modestia nos monere debet. De anima autem quod Moses narrat, observatione dignissimum est, nimirum Deum sufflavisse in nares hominis halitum vitæ, & sic hominem factum esse animam viventem. Hinc certò constat, corporis & animæ humanæ non esse eandem materiam. Corpus ex terrâ desumptum est, anima à Deo immediatè ex nihilo in hominis corpore jam efformato, condita, quod argumento est, animas humanas non esse ex traduce, ut in scholis loquimur, sed adhuc quotidie à Deo in corporibus creari, & mediante spiritu vitali, qui in femine est, & per illud propagatur, cum corporibus uniri. Atq; hæc etiam breviter de homine, cujus natura in proximâ disputatione anthropologicâ plenius declarata est.

Hæc sunt, quæ de operibus sex dierum ex narratione Mosæica hoc tempore proponere voluimus. Si doctioribus placent, bene est; si displicent, operam dabimus, ut alio tempore à nobis perfectiùs elaborata tradantur.

~~~~~  
Præses ad Dn. Respondentem.

**I**lle mihi vera sophia studiosus habetur,  
Codice de sacro qui sibi querit eam.  
Non labor est vanus, verum utilis & jucundus,  
Excolis ingenium quo studiose tuum.  
Literulas sacras semper conjunge profanis,  
Sic minus errabis, sic mage certus eris.




SCHEDIASMA

HERMANNI RAVENSPERGERI, SS. Theologiae Doctoris & Professoris,

AD

EXIMII INGENII JUVENEM, DN. PETRUM Laer, RESPONENTEM.

**F**loret in humano tibi candida pectore virtus:  
Quam tua demonstrat Physica sacra satis.  
Hinc Laer florebis, patria agnatisq, placebis,  
Et matri viduae dulce levamen eris.  
Idq, ut adire queas sincero postulo corde,  
In manibus Domini vive valeq, diu.



ODA SAPHICA

Qua alluditur ad patriam

DOCTISSIMI JUVENIS, DN. PETRI DE

LAER, amici & contubernalis optimi,

WASSENBERG.

|                                                |                                               |
|------------------------------------------------|-----------------------------------------------|
| <b>P</b> rostat in terris regio sat ampla,     | <b>E</b> sse Parnasso similémq, monti         |
| <b>E</b> st virus magnis bene fructuosa,       | <b>R</b> ere bicorni.                         |
| <b>T</b> ute virtutum validum theatrum         | <b>I</b> n jugo montis PETRE collocavis       |
| <b>R</b> ite vocaris.                          | <b>V</b> erius, tu sis PETRA, nec columnam,   |
| <b>U</b> nus in tractu hoc locus est venustus, | <b>L</b> inque, ne mons hic gravis in rapaces |
| <b>S</b> pumea traxit titulum unum ab unda,    | <b>I</b> rruat undas.                         |
| <b>D</b> urus & mons hac media locatus         | <b>A</b> st tuis fulcrum studiis parato       |
| <b>E</b> xhibet unum.                          | <b>C</b> ura sit coetus patrii, sat arcta.    |
| <b>L</b> ongae ab hoc vena, remeantq, nervi    | <b>U</b> nde te magnum decus atq, fama        |
| <b>A</b> rdui, fontes veniunt sereni           | <b>S</b> umma manebit.                        |


Gratulabundus accinebat Gulielmus Pistorius Juliacus.

F I N I S.

tr̄is. Ubi autem hæc  
sed sterile, quod in non

IX. Quarto confidus, qui exprimitur Geræ, feminam ex maris potentia Dei arguere debet. De anima ne dignissimum est, nimis halitum vitæ, & ventem. Hinc certò esse eandem materiam à Deo immediatè formato, condita, quod esse ex traduce, ut in Deo in corporibus cremine est, & per illud præ hæc etiam breviter deputatione anthropolog

Hæc sunt, quæ Mosaica hoc tempore placent, bene est; si dis-  
pore à nobis perfecti us



Præses ad

**I**lle mihi ve  
Codice  
Non labor es  
Excolis  
Literulas sac  
Sic min

